

hæredibus. Ad hæc insinuari prius debuisset hæredibus, quinam scripti sint legatarii. Hæc responsio sequentibus innitur rationibus. 1. Absolote necessarium est, ut legatarii sint de jure habiles ad recipiendum legatum. 2. Potest contingere, quod plus fuerit legatum, quam jure permissum sit. 3. Potest tanta esse legatorum quantitas, ut necessario reditio fieri debeat, ne tota absorbeat hæreditas. 4. Denique hæres potest habere graves rationes impugnandi valorem testamenti. *Pontas.*

CASUS XXXII. Æmilianus presbyter aut Religiosus ex Ordine quodam reformato a Mævio suo cognato fuit nominatus in executores sui testamenti. Potestne absque peccato acceptare hoc officium, & tam valide quam licite exequi testamentum?

R. Si Æmilianus est presbyter sæcularis, potest esse executor testamenti juxta Cap. *Tua nobis.* 17. Lib. 3. Tit. 26. Idem potest, si Æmilianus est ejusmodi Ordinis, cujus constitutiones id non prohibent. *Cement. Religios.* univ. Lib. 3. Tit. 6. Requiritur tamen ad id insuper licentia a Superiore. De cætero hæc in re ubique servanda est locorum consuetudo. *Pontas.*

CASUS XXXIII. Maritus & uxor mutuam condiderant testamentum; sed uxor mortuo marito ejusdem testamentum suppressit.

R. Mutare quidem aut revocare uxor potest proprium suum testamentum, cum, quando in vivis est, non sit ultima voluntas; nequaquam autem tuta conscientia suppressere potest testamentum defuncti mariti absque injustitia atque infidelitate erga ipsum, qui non alia intentione ultimam voluntatem suam uxori concedidit, nisi ut post mortem executioni mandetur. *De Lamet.*

CASUS XXXIV. Cælius in testamento hæredem instituit matronam quandam ea conditione, ut ipsa hæreditatem assignet uni ex prolibus testatoris, quam ipsa pro suo arbitrio determinare vellet. Cum jam quædam ex filiabus Cælij nuptura esset, rogatur matrona, ut huic hæreditatem assignet, quod & factum est. Comperit autem postea, testatoris filium, licet ipse ob crimen condemnatus hæreditatis esset incapax, reliquisse filiam valde pauperem. Quæritur jam, an non hoc intellecto, quod prius nesciverat, assignationem hæreditatis revocare, & partem nepti testatoris tradere possit.

R. Assignatio hæreditatis a matrona filæ nupturæ facta iusta est ac legitima, nec amplius revocari potest. *Hortari*

ta.

tamen potest filiam testatoris, ut saltem partem cedat filæ fratris sui valde indigenti. *De Lamet.*

CASUS XXXV. Titius in confectione testamenti sui prætermisit aliquam solemnitatem a lege vel consuetudine requisitam.

R. Testamentum hoc est nullum; rigor tamen iste non semper concernit etiam pia legata, maxime si non sint notabilia. Omne testamentum quoad substantiam suam vitiosum est nullum; & hæredes non tenentur ad solutionem piorum legatorum in eo contentorum, si testator ea assignavit in fundis ad se non pertinentibus. Nihilominus respectus ac gratitudo debita defuncto, cujus voluntatem hæres novit, videtur eum obligare ad explenda ejusmodi legata, si non sunt notabilia. *Fromageau.*

CASUS XXXVI. Petrus ante mortem hæredem suum obligat in testamento, ut singulis annis 50 florenos impendat in dotationem cujusdam puellæ orphanæ. Potestne hæres iste hanc summam dare puellæ habenti quidem patrem, ex quo tamen nec minimum subsidii expectare potest?

R. Potest hæres dotare ejusmodi puellam: licet enim ea non sit orphana, sumendo hunc terminum rigorose; quia tamen omni assistentia a patre suo privata existit, non minus, ac vera orphana, concludendum est, hanc puellam omni subsidio paterno destitutam recipere posse dotem a testatore assignatam veræ orphanæ. Nihilominus si simul pro dote sollicitaret orphana vere talis, ea præferenda foret, saltem nisi altera majori paupertate premeretur. C. B.

CASUS XXXVII. Sylvius ante mortem notabile legatum assignavit uxori suæ, ea tamen conditione, ut maneat in statu viduitatis. Debeturne ipsi hoc legatum, si ingredietur Religionem?

R. Debetur ipsi; quia sic leges volunt, ne quis desiderio possidendi legatum retrahatur ab amplectendo statu perfectiore. Accedit, quod adhuc verum sit, eam perseverare in statu viduitatis, dum Religionem ingreditur. Immo et si fors ea testatoris intentio aut cogitatio non fuerit, ea tamen potest ac debet præsumi, quotiescumque alia intentio legibus adversatur, ut in præsentem casu. C. B.

Vide *Legatum.*

TESTIS.

1. *Testis* dicitur ille, qui testatur de eo, quod aut vidit aut audivit, licet acculatum vel ab accusatione liberat, vel magis implicat.

Dist. Cas. Conf. Tom III.

Na

CA-

2. Testes alii sunt irreprehensibiles, contra quorum testimonium excipi non potest; alii reprehensibiles, quibus scilicet objici potest crimen inducens infamiam, vel alius defectus, ex quo testimonium eorum repudiari potest; sive ejusmodi defectus sit talis ex natura rei, ut est privatio rationis; sive ex dispositione juris, ut si probaretur, testem jam semel in judicio falsum deposuisse, aut pecunia vel alia ratione corruptum fuisse.

3. Causæ criminales auditione, iterata interrogatione, & confrontatione testium instruuntur. Si accusatus ante ita tam interrogationem testem admisit, eum repudiare amplius non potest, id est, quando post confrontationem in sua depositione persistit, nec ei objici potest variatio essentialis in depositione ac confrontatione.

4. Falsum testimonium plectitur morte, si ab eo innocentis vita dependeat; in aliis vero casibus, maxime in causis civilibus poena infligitur mitior.

5. Consanguinei ad quartum usque gradum non admittuntur ut testes pro suis consanguineis, vel contra eos, in causis civilibus, idque in utroque foro, ecclesiastico & civili; excepto tamen casu, quo de ætate vel propinquitate agitur circa causas matrimoniales, aut Ordines recipiendos.

6. Testis, qui non fuit citatus, & juramentum non deposuit, in judicio nunquam admittendus est, nisi forte sit actu præsens in judicio, & a judice compelleretur ad deponendum testimonium circa aliquod factum; quo in casu testimonium ipsius nequaquam suspectum esse debet.

7. Judex non potest condemnare accusatum ex simplici depositione unius testis: duo autem testes oculati, non suspecti, plenam probationem faciunt.

CASUS I. Florianus assassino interfecit Rollandum, & hujus notitiam habent ipsius frater, soror, & confessorius, cui id ex confessione Floriani innotuit: hi tres in judicium vocati sunt, ut suam quilibet deponat testimonium. An ad hoc tenentur in conscientia?

¶ Nec frater nec soror ad id tenentur, nisi agatur de casu extraordinario & privilegiato, aut lex localis ita disponat. *Lege Julia publicorum judiciorum cavetur, ait Canon Si testes. 3. §. 4. q. 2. & 3. ne invito denunciatur, ut testimonium litis dicat adversus socerum, generum, vitricum, privignum, sobrinum, sobrinam, sobrinove natum, eosve, qui priore gradu sint.* Multo minus testimonium ferre licet confessorio, qui criminis notitiam solum ex confessione habet. *De illis, quæ homini sunt commissa in secreto per confessionem, inquit S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2. nullo modo debet testimonium ferre; quia*

quia hujusmodi non scit ut homo, sed tanquam Dei minister; & majus est vinculum Sacramenti quolibet hominis præcepto. Pontas.

CASUS II. Babylas secreto occidit quemdam pauperem hominem; cumque contra illum jam semiplena habeatur probatio, Tullium Advocatum consulit de mediis vitam suam tuendi: brevi post Tullius vocatur in judicium ad testificandum contra Babylam. An tenetur agere testem.

¶ Cum non agatur de damno publico, aut de damno personæ privatae aut evitando aut reparando, Tullius non tenetur agere testem. Pontas.

CASUS III. Ermelius accusatus de peculatu Paulum rogavit, ne contra se testem agat, quod & Paulus addito juramento promisit: Paulus vero paulo post citatur a judice ad deponendum testimonium. An non obstante juramento tenetur testem agere?

¶ Juramentum Pauli temerarium, injustum ac illicitum est, nec absque novo peccato illud adimplere potest; cum judex habeat jus exigendi ab eo declarationem veritatis, prout & Paulus non obstante juramento in conscientia eam declarare tenetur. Ita Alexander III. Cap. *Intimidavit* 18. Lib. 2. Tit. 20. Ratio hujus responsionis est 1. Quia obligatio testificandi fundatur in jure publico, cui derogare aut renunciare persona privata non potest, quocumque demum interposito juramento. 2. Quia adversatur bonis moribus inducere quemquam ad celandam veritatem, quam nosse boni publici plurimum interest, ne plura crimina maneant impunita. Pontas.

CASUS IV. Augustus communiter pro viro probato habitus commisit crimen occultum, nulli hominum nisi Jacobo vicino suo notum. Paulus juratus Augusti adversarius & judex criminalis inimicum suum perditurus aut saltem infamaturus procedit contra illum per viam inquisitionis, quatuorque vicinos illius vocat in judicium, ut testes agant contra Augustum. Tres eorum declararunt, se nullam habere notitiam de auctore criminis, & quidem nec minimam contra Augustum suspicionem. Interrogatus jam Jacobus teneturne coram Deo judici manifestare veritatem rei?

¶ Non tenetur: nemo enim tenetur deponere testimonium contra accusatum, nisi quando judex procedit secundum formam in jure requisitam, id est, nisi præcedat evidentia, vel saltem violenta præsumptio facti, de quo quis interrogatur; aut nisi accusatus jam prius fuerit infamatus de crimine, quorum neutrum in præsentis casu intervenit. Id clare colligitur ex Cap. *Inquisitionis*, 21. S. 1. Lib. 5. Tit. 1.

Excipiendus tamen est casus, quo agitur vel de reparatione gravis damni ab accusato cuiquam illari, vel de periculo inferendi bono publico, aut etiam personæ privatae; ut explicat D. Thomas 2. 2. q. 70. art. 1. C. *Pontas.*

CASUS V. Thomas vocatus est in iudicium; ut testetur contra Henricum de crimine quodam, quod hic illi ut amico sub secreto aperuit. An interrogatus tuta conscientia potest reticere veritatem, quam solum sub secreto noverat?

R. Si crimen Henrici nec vergit in præjudicium totius Status, nec cuiusdam privati, aut si vergat, crimen jam actu perpetratum est ab Henrico, & solum agitur de poena ipsi infligenda, Thomas in conscientia non tenetur prodere, quod tantum scit sub fide secreti naturalis. Idem dicendum, si agitur de crimine primum committendo, ex quo tamen nec reipublicæ nec cuiquam privato notabile damnum timendum foret. Ita docet D. Thomas 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2. Quod etiam extendi potest ad ea, quæ quis sub fide secreti commisit advocato, procuratori, medico, chirurgo, obstetrici &c. *Pontas.*

CASUS VI. Si vero in posito casu Thomas a iudice ad respondendum adigeretur sub comminatione carceris, aut alterius gravis poenæ, quam declinare non posset nisi manifestando secretum: an tenetur dicere veritatem non obstante obligatione secreti? An non potest uti restrictione mentali?

R. Absque peccato, immo perjurio Thomas non potest uti ulla æquivocatione aut restrictione mentali: testis enim judicialiter & in forma iudicii ordinaria interrogatus deponit iuramentum de dicenda veritate; non potest ergo respondere contra mentem & conscientiam suam, nec in alio sensu, quam quo interrogatur. Ita S. Ildorus Can. *Quacunque.* 9. 22. q. 5. Thomas igitur debet adhibere omnia, quæcumque prudentia christiana suggerit, vel declinando jurisdictionem iudicis sub aliquo prætextu, vel discedendo e loco, vel dicendo, nil sibi esse quod respondeat. Si hæc omnia nihil proficiant, & videat sibi testimonium recusanti imminere periculum gravis mali, juxta Cabassutum L. 4. c. 5. n. 1. simpliciter dicenda veritas non obstante secreto, ad quod servandum sese obligasse non censetur, nisi sub tacita conditione, si id sine gravi damno proprio fieri possit. *Pontas.*

NOTA. Quando iudex, hostis, latro &c. scit, vel saltem scire tenetur, se iniuste a quopiam extorquere iuramentum, eo ipso etiam scit, vel scire tenetur, interrogatum non obligari ad dicendam sincerè veritatem. Itaque si interrogatus expresso protestetur, se

usurum æquivocatione vel restrictione mentali, sive protestetur tacite per ipsam evidentiam juris naturalis, non peccabit sic æquivoce aut cum restrictione jurans; utpote id sciente iudice, hoste vel latrone. Quando autem iudex iuste ac legitime desert cuiquam iuramentum, nunquam juranti licet uti æquivocatione aut restrictione.

CASUS VII. Henricus testis oculatus est, quod Hieronymus occiderit Guntherum, sicque familiæ occisi grave damnum intulerit. Teneturne Henricus judicialiter in testem vocatus deponere contra Hieronymum, posito etiam, quod ad tuendam propriam vitam servato moderamine inculpatae tutelæ Guntherum occiderit? An ad idem teneretur, si solus esset testis furti a Joanne commissi titulo iustæ compensationis?

R. Nec contra Hieronymum nec contra Joannem Henricus testimonium deponere in conscientia tenetur; cum neuter poenam capitis incurrerit, aut mortaliter peccaverit. Ita docet Navarrus Manual. c. 25. n. 46. & Cabassutus Lib. 4. c. 5. n. 2. ait: *Non tenetur aliquis testificari, etiam requisitus, citatus, & sub poena excommunicationis obtestatus, qui scit rem, de qua inquiritur, factam fuisse sine culpa saltem mortali, ut si, qui furti accusatur, rem subripuerit titulo iustæ compensationis; aut homicidium, de quo inquiritur, fuisse factum cum moderamine inculpatae tutelæ.* *Pontas.*

CASUS VIII. Henricus & frater ipsius a iudice, ut testes agant, vocati, & iuramentum deponere iussi dicendæ veritatis in causa homicidii ab Andrea perpetrati, simpliciter testantur, Augustum ab Andrea fuisse occisum, non addendo, quod Augustus fuerit aggressor, & Andreas eum occiderit propriam vitam tuendi necessitate compulsus. An mortaliter peccarunt testes isti? An & perjurium commiserunt reticendo circumstantiam aggressionis? Tenenturne etiam reparare integrum damnum a se illatum?

R. Rei sunt peccati mortalis & perjurii: intentio enim iudicis erat comperiendi veritatem vel in gravamen vel in levamen accusati. Cum ergo veritatem reticuerin, & ex reticentia gravissimum damnum emerferit, illud in conscientia reparare tenentur. *Pontas.*

CASUS IX. Marcellus accusat Lucium, quod Paulum occiderit, & producit duos testes idem asserentes. Ast alii duo testes æque irreprehensibiles testantur, Lucium esse innocentem, & Paulum fuisse occisum a Stephano. An iudex ob æqualitatem testimoniorum Lucium tuta conscientia ab accusatione absolvere ac liberum dimittere potest?

ꝑ. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 70. art. 2. ad 2. judex pronunciare debet in favorem accusati. *Pontas.*

CASUS X Felix judicialiter accusavit Siranum de homicidio, & duos in rem hanc testes exhibet, qui circa ipsum homicidium quidem conveniunt, non concordant autem circa notabiles circumstantias: unus enim testium asserit, homicidium fuisse perpetratum die Lunæ, alter ait, id commissum fuisse die Martis. Vel unus affirmat, homicidium contigisse in ipsa domo, alter extra domum in platea. Quid agendum judici?

ꝑ. Judex tuta conscientia non potest condemnare Siranum: depositiones enim testium variantes circa primarias circumstantias non sufficiunt ad condemnationem vel. *Discordia testium in aliquibus principalibus circumstantiis*, inquit S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 2. ad 2. *ausert efficaciam testimonii; quia si discordant in talibus, videntur singulares esse in suis testimoniis, & de diversis factis loqui: puta si unus dicat, hoc factum esse tali tempore vel loco; alius alio tempore vel loco, non videntur de eodem facto loqui.* *Pontas.*

CASUS XI. Laurentius Jacobum & Joannem ut testes producit contra Lucium, quem accusavit, quod occiderit Albertum; aut dicti duo testes discordant in quibusdam circumstantiis non quidem ad substantiam facti pertinentibus, aliquam tamen relationem ad illud habentibus. An judex condemnare potest Lucium ad poenam capitalem?

ꝑ. Potest ac debet condemnare eum: circumstantiæ enim ipsam rei substantiam non immutantes non solent ordinarie magnam impressionem facere in animis eorum, quorum omnis attentio fertur in ipsam substantiam actionis, de qua testantur. Addit tamen S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 2. ad 2. *Quod tamen prudentiæ judicis relinquitur discernendum.* *Pontas.*

CASUS XII. Si in priori casu Jacobus & Joannes quidem testentur, Albertum occisum esse a Lucio; unus eorum autem dicat, se non amplius recordari diei & loci in quo occisus sit, & alter diem & locum assignet; an judex condemnare poterit accusatum?

ꝑ. Juxta S. Thomam 1. c. potest condemnare: non enim in testimonio eorum reperitur contrarietas; nec testimonium unius enervatur per testimonium alterius. *Pontas.*

CASUS XIII. Petrus & Paulus ob multa mendacia, & pravas actiones, de quibus judicialiter jam reprehensi sunt infames, testes agunt contra Joannem de homicidio accusatum. An judex accusatum ob tale testimonium condemnare potest observato justitiæ rigore?

ꝑ. Jux-

ꝑ. Juxta regulam generalem juris testes debent esse irreprehensibiles; hinc si aliæ probationes contra Joannem non adsint, nisi testimonium horum testium, contra eos excipere potest Joannes, & rationes suas illos repudiandi viva voce, & non scripto, proferre. Judex igitur tuta conscientia non potest Joannem condemnare ad poenam capitalem. Excipiendus tamen est casus, in quo agitur de criminæ læsæ Majestatis. *Pontas.*

NOTA. Quamvis testes infames circa crimen læsæ majestatis *administrative* admitti possint, pro commotivo tamen, determinativo intellectus ad ferendum judicium moraliter certum, testimonium eorum admitti nequit.

CASUS XIV. Theologus, & Canonista agitant inter se hanc questionem: an detur casus, in quo ad faciendam fidem unicus sufficiat testis; Theologus tenet negativam, Canonista vero affirmativam.

ꝑ. Si agatur de re ad forum contentiosum jam deducta, Theologus bene tenet negativam: judicialiter enim sententia ferri non potest ad unius hominis testimonium; cum ipse Christus dicat Matth. 18. v. 16. *In ore duorum vel trium testimonium stet omne verbum.* Si vero agatur de casibus extrajudicialibus, certum est plures dari, in quibus testis unicus fidem facit: v. g. 1. Quando res in nullius vergit præjudicium, ut si sciendum, an quis sit baptizatus, an ecclesia consecrata, an infirmus petierit confessarium, antequam ratione aut usu linguæ privaretur &c. 2. Quando duo litigantes aut dubitantes de re quadam compromittunt in testimonium tertii. 3. Quando agitur de correctione fraterna. *Pontas.*

NOTA. Cum testimonium unius hominis omni exceptione majoris de proprio visu & auditu aliquoties moralem certitudinem pariat, ad prudentiam Legislatorum pertinet, an & ad quales poenas taliter convicti ordinandi sint?

CASUS XV. Albertus omnibus suis vicinis infensus Vinebaldum tam verbis quam verberibus male excepit; hinc a Vinebaldum apud judicem accusatus est, & duo suorum vicinorum, ad testificandum non vocati, ultro contra ipsum deponunt. An Albertus ob eorum testimonium ad aliquam poenam condemnari potest?

ꝑ. Depositio horum testium est nulla, & judex ob horum testimonium non potest Albertum ad ullam poenam condemnare. *Ea, quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infestis etiam habeantur.* Ita Theod.

dofius & Valentinianus Imperatores Leg. *Non dubium.* 5. Cod. Cod. Lib. Tit. 14. *Pontas.*

CASUS XVI. Aristides falsum testimonium deposuit contra Iustinum, quod nempe Ludovicum occiderit, & accidentibus etiam aliis violentis præsumptionibus Iustinus, qui tamen revera innocens erat, condemnatus est ad mortem. An Aristides in conscientia tenetur revocare suum testimonium, etiam prævideat, se poena talionis afficiendum?

ꝑ. Certe tenetur revocare: nam in æquali periculo prior est innocentis conditio, quam illius, qui suo malitia in meritum hominem in id periculum adegit, ut ait Cabasutius L. 4. c. 5. n. 6. *Pontas.*

CASUS XVII. Jodocus vocatus in iudicium deposuit falsum testimonium in re, quam certo sciebat nullius esse momenti. An peccavit mortaliter?

ꝑ. Omne perjurium a teste coram iudice commissum est peccatum mortale; hinc Jodocus deposito falso testimonio peccavit mortaliter, cum iuramentum emisit dicendæ veritatis. Ita docet S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 4. C. *Pontas.*

CASUS XVIII. Robertus & Antonius citati in iudicium ad deponendum testimonium contra Petrum de homicidio accusatum, accincti jam ad iter in exterarum regiones suscipiendum, coram Notario declararunt, se oculos esse testes commissi a Petro homicidii; & hanc suam declarationem scriptam, ac sigillo obfirmatam transmiserunt iudici. An iudex ex his declarationibus condemnare Petrum potest?

ꝑ. Tuta conscientia non potest condemnare Petrum: omnis enim declaratio non facta judicialiter coram iudice, qui ipse testes interrogare debet, nulla est. Leg. *Jurisjurandi.* 9. Cod. Lib. 4. Tit. In ejusmodi igitur casu iudex debet se ipsum conferre in locum testium, si fieri possit, vel rem committere alteri juxta leges scilicet, consuetudinem & acceptum usum suæ provinciæ. *Pontas.*

NOTA. Pertinet ad declarationem supremi provinciæ Legislatoris, an pro tali casu ejusmodi declarationem velit æquiparari testimonio vocali.

CASUS XIX. Ambrosius debet centum florenos Desiderio; cum autem hic non obtinisset syngrapham debiti ab Ambrosio, probat debitum per testes, per sponsum scilicet filiam suam, per duos propinquos quamvis remotioris lineæ, & per quemdam domesticorum suorum. An ex horum testimonio Ambrosius condemnari potest ad solutionem?

ꝑ. Spon-

ꝑ. Sponsus filiam utpote affinitate junctus cum creditore non est testis idoneus; nec propinquus ad testimonium admittuntur nisi intra gradus a lege vel consuetudine permittos. Denique regulariter loquendo etiam testimonium famuli domestici rejicitur. Excipiendus tamen est casus, quo agitur de crimine læsæ majestatis vel quovis alio vergente in damnum boni publici. Observandum insuper, etiam famulum domesticum in testem pro domino suo recipi. 1. Quando agitur de facto domestico, vel alii testes facile haberi non possunt. 2. Quando factum contingit de nocte in domo, ut adulterium, homicidium, furtum & similia. *Pontas.*

NOTA. Circa causas levioris momenti plus a Iudice tribuendum præsumptioni individuali pro veracitate personali testis, quam præsumptioni generali ex qualitate domestici vel sponsi.

CASUS XX. Mogerius incola cujusdam parochiæ contendit cum Lupercio suo parcho de possessione cujusdam silvæ, quam Mogerius actu possidet. Iudex ad dirimendam litem jussit produci testes, qui de tempore possessionis suæ deponant testimonia. Quatuor testes asserunt, Mogerium silvam jam a triginta annis possidere; sex alii testes vero affirmant, eum dictam silvam per annos plusquam quadraginta possidere. An ob istam contrarietatem iudex non potest sententiam ferre in favorem Mogerii?

ꝑ. Juxta S. Antoninum 3. Parte Tit. 9. c. 2. §. 2. Iudex, si poterit, debet concordare testimoniorum contrarietatem. & si hoc non est possibile, debet ferre sententiam juxta testimonium plurium idem testantium, nisi ex altera parte obstat singularis personarum qualitas, vel eorum testimonium videatur evidenter probabilius ob aliquas circumstantias. *Ad multitudinem tantum respicere non oportet,* inquit Innocentius III. Cap. *In nostra.* 32. Lib. 2. Tit. 20. *sed ad testium qualitatem, & ad ipsorum deposita, quibus potius lex veritatis asserit.* *Pontas.*

CASUS XXI. Hierophilus parochus dioceseos Turnacensis solemnizavit matrimonium præsentibus duobus duntaxat testibus; cum tamen in Gallia vi constitutionis regiæ de anno 1697. ad valorem matrimonii requiratur præsentia quatuor testium. Objiciebatur dicto parcho, quod peccavit mortaliter; ipse autem defendebat, se ne quidem venialiter peccasse. Quid sentiendum?

ꝑ. Constitutio regia vel Principis in regno aut provincia habet rationem veræ legis, cui parochus se conformare debet. Quamvis igitur matrimonium hoc in præsentia parochi & duorum testium juxta præscriptam a Concilio Tridentino

tino formam contractum sit validum, Hierophilus tamen peccavit mortaliter; quia violavit legem a Principe latam, de se iustam, promulgatam, ac sine oppositione receptam. *Pontas.*

Vide *Impedimentum Claustrinitatis. Caf. 25. & 26.*

THESAURIS.

1. *Thesaurus* in genere significat quamcumque rem pretiosam, sacram vel profanam; sic thesaurus dicuntur Sacrae Reliquiae, vel copia auri aut argenti. Dicuntur etiam *Thesaurus Ecclesiae* merita corporis mystici, cuius caput Christus est, & Sancti membra. Denique thesaurus proprie dicitur, prout & hic sumitur, antiqua depositio auri, argenti, aliarumque rerum pretiosarum in aliquo loco reconditarum, & noviter detectarum, quia sciatur, ad quem pertineant.

2. Non potest dici, si modo Christiano loqui velimus, inventionem thesauri forti, casui, ac caecae fortunae adscribendam esse: inventio enim ejusmodi est potius referenda ad aliquam superiorem intelligentiam omnia provide disponentem, ac ordinem rerum ac causarum sapienter dirigentem.

CASUS I. Gualterius emphiteuta in fundo pertinente ad Gabrielem parochum loci, sibi ab eodem locato reperit 200. aureos, quorum aliqui primum ante duos vel tres annos cusi fuerant. Queritur, num haec summa inventa habenda sit instar thesauri, ita, ut Gualterio, parocho & ecclesiae, ac alicui Principis sua cuilibet pars debeat.

3. *Thesaurus* proprie dictus non pertinet ad eum, in cuius fundo reperitur; cum non sit verus possessor: *is enim*, dicitur Leg. *Possideri*, 3 § 3. & Lib. 4^o. Tit. 2. *qui nescit, non possidet thesaurum, quamvis fundum possideat.* Non potest autem dici, inventam summam habere rationem thesauri proprie dicti; ea potius habenda est instar rei pertinentis ad quempiam privatum, qui eam hoc loco vel perdidit vel recondidit animo denuo recipiendi aut recuperandi eam. *Thesaurus*, ait Lex *Nunquam* 31. *ibid.* *Est vetus quaedam depositio pecuniae, cuius non extat memoria, ut jam dominum non habeat. . . Alioquin si quis aliquo vel lucri causa, vel metu, vel custodia condiderit sub terra, non est thesaurus.* Ex quo sequitur, verum huius pecuniae dominum adhuc habere animum recuperandi rem suam, & Gualterium teneri ad restitutionem, quamprimum detectus fuerit dominus rei. Quod si post diligentem inquisitionem verus dominus non compareat, Gualterius juxta S. Thomam 2. 2. q. 62. art. 5. ad 3. tenetur inventa erogare in pauperes aut applicare ad alias causas pias juxta intentionem veri domini. Si Gualterius ipse foret pauper ac indigens, posset de licentia & cum approbatione confessorii partem inventorum

torum aut etiam totam summam in proprium suum, convertere commodum. *Si ipse indigens foret, eam retinere potest*, ait S. Bernardinus Serm. 33. in Dom. 4. Quadrag. art. 1. cap. 1. De caetero notandum, quod juxta leges Romanas ille, qui reperit thesaurum in fundo alterius, partem dimidiam teneatur cedere domino fundi, si autem reperit in suo fundo, totum retinere possit. In Gallia dum quis reperit thesaurum in fundo alieno, una pars tertia spectat ad inventorem, altera ad dominum fundi, tertia ad dominum territorialem. Si vero reperit in fundo suo, partem dimidiam sibi retinere potest, altera relicta domino territoriali: & haec praxis etiam locum habet pro foro interno. *Pontas.*

NOTA. Insignes Theologi docent, tam inventorem rei perditae quam repertorem thesauri, si post factam morali cum diligentia inquisitionem omnis evanescat spes detegendi verum dominum, posse retinere inventa, quin teneatur ea expendere in causas pias, aut partiri cum alio.

CASUS II. Sigebertus profundam construens fossam reperit summam 5000. florenorum a longissimo jam tempore ibi detentam. Poteritne tuta conscientia hanc summam sibi retinere?

3. Si hic thesaurus a Sigeberto inventus est in proprio fundo, juxta consuetudinem gallicanam dimidium pertinet ad dominum territorialem; si in alieno, testia tantum pars pertinet ad inventorem. Ubi autem non viget ea consuetudo, in primo casu integer thesaurus pertinet ad inventorem, in secundo pars dimidia ad dominum fundi. *Pontas.*

NOTA. Haec procedunt pro foro externo. In foro interno inventor potest omnia retinere solus. Vide dicta ad *Casum* I.

CASUS III. Domus ruinosa destruitur, & invenitur thesaurus. Ad quem pertinet?

3. Insistendo praecise juri naturali, totus iste thesaurus pertinet ad inventorem. Verum leges volunt eum aequaliter dividi inter dominum fundi & inventorem, si consuetudo non exigat aliud. Si etiam Dominus territorialis ad thesaurum inventum habet jus, dividi debet in tres partes. *Fromageau.*

NOTA. Vide dicta ad *Caf. 1. & 2.*

CASUS IV. Intra fornicem cujusdam cellae vinariae reperitur thesaurus. Ad quem pertinet?

3. Jus commune vult thesaurum inventum in duas aequales partes dividi. Nihilominus quoad rem hanc insistendum est consuetudini locorum. *Fromageau.*

NOTA.

Nota. Si inventio necdum sit publicata & delata ad iudicem, vel hæredes, retineri possunt inventa, nisi probabilius, aut morali certitudine noscatur, abiconsa intra spatium temporis immemorialis pertinuisse ad personam, cujus superiunt hæredes. Vide *Inventa*.

TITULUS CLERICALIS.

1. Hæc vox *Titulus* varios recipit sensus: sumitur quandoque pro Beneficio ecclesiastico, pro contractu aut alio actu contractui æquivalente, pro inscriptione alicujus operis; quandoque significat dignitatem, gradum, ac conditionem personæ &c. Denique sumitur pro *Titulo Clericali*, seu *Sacerdotali*, sub quo ordinariè intelligitur titulus patrimonii; quo in sensu & nos hic sumimus.

2. Consistit *Titulus* in redditibus cujusdam Beneficii, aut in portione quadam bonorum patrimonialium, aut aliorum bonorum temporalium justè aquirorum. Beneficium quod habet locum *Tituli*, non potest resignari, nisi in quatuor casibus, ut ex sequentibus patebit.

3. Si *Titulus* consistat in bonis alterius speciei, in Gallia juxta edicta de eo certo & absque fraude constare debet coram iudice ordinario per quatuor incolas loci. Bona, in quibus fundatur ejusmodi titulus, non possunt abalienari, nec ulis sunt obnoxia obligationibus, aut hypothecis à tempore, quo quis ad sacros Ordines fuerit promotus usque ad mortem ipsius. Episcopus, qui hac in re contra Edicta egerit, tenetur illum sustentare, quem ad Ordines absque titulo admisit, usquedum ipsi de Beneficio providerit.

CASUS I. Antonius fuit ordinatus in subdiaconum ex titulo fraudulento: amicus enim ipsi contulit titulum; ipse autem amico in scripto promisit, se titulum nunquam exacturum. An propterea incurrit aliquam pœnam canonicam?

ꝛ. Non videtur Antonium sic recipere potuisse subdiaconatum, quin suspensionem incurrisset. Authores vix non omnes hanc tenent sententiam, & inter eos etiam Navarrus Manual. c. 27. n. 158. fundaturque hæc responsio in jure antiquo, & in Concilio Tridentino Sess. 21. de reform. c. 2. *Pontas.*

CASUS II. Anistius receptorus subdiaconatum producit titulum patrimonii, cujus annui redditus sunt 75. floreni; sed hic fundus ne quidem sufficit ad solvenda, patris defuncti debita, quæ ad minimum 2000. florenos conficiunt. An titulus iste illegitimus censendus est?

ꝛ. Si

ꝛ. Si bona ista patrimonialia per modum hypothecæ sunt obligata creditoribus, titulus est fraudulentus & nullus; & Anistius suspensionem incurrit, si beneficio hujus tituli ordinari se faciat. *Pontas.*

CASUS III. Asterius ordinatus in presbyterum sub titulo patrimonii præterdit, se posse ex sua diocesi discedere, & in alia diocesi suscipere munus Vicarii absque licentia sui Episcopi, nec se posse cogi ad deservendum in propria diocesi, in qua non habet Beneficium. Justane est hæc præterditio?

ꝛ. Præterditio Asterii non potest defendi; nec potest sine consensu sui Episcopi a sua diocesi in aliam transire ad obeundas functiones Vicarii. Cum nullus debeat ordinari, inquit Concilium Tridentinum Sess. 23. de reform. c. 16. qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis ecclesiis, sancta Synodus vestigiis sexti canonis Concilii Chalcedonenis inhærendo statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi ecclesiæ aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non adscribitur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus; qui si locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei Sacrorum exercitium interdicatur. *Pontas.*

Nota. In Germania Clerici passim ex una diocesi transeunt in aliam haud requisito consensu Episcopi sui.

CASUS IV. Vitalis Acolytus obtinuit Prioratum per simoniam, in qua tamen nullam habuit partem, nec ullam ejusdem notitiam, nisi post aditam jam possessionem Beneficii. An poterit ordinari sub titulo hujus Beneficii, si nullum alium titulum reperiat, non obstante interveniente simonia?

ꝛ. Verum quidem est, Vitalem non incurrisse pœnas canonicas per hanc simoniam; non tamen potest ordinari sub hoc titulo, utpote absolute nullo. Potest autem facta prius pura ac simplici renuntiatione Beneficii sibi procurare novam provisionem, & dein ordinari. *Pontas.*

CASUS V. Balthasar possidet præstimonium, cujus annui fructus sunt 100. floreni. An servit pro titulo?

ꝛ. Si præstimonium est perpetuum, ita ut possessori auferri non possit, rationem habet tituli, ad quem licite ordinatur Balthasar. *Pontas.*

CASUS VI. Henicus Episcopus videt, Julianum Clericum tonsuratum, pium & doctum non habere titulum ad recipiendos sacros Ordines. Potestne ipsum nihilominus ordinare, si se obliget ad dandum ipsi in sua diocesi aliquid officium sufficiens ad hoc, ut possit ipsi servire pro titulo?

ꝛ. Po-